

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS,
manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-ſextâ menſis Aprilis, anno Domini M. DCC. XLIV.

M. MICHAELE PEAGET,
Doctore Medico, Præſide.

An noxiæ Vulneribus Turundæ?

I.



T vita hominis ab arte & naturâ pendet, ſic ab utrâque conſervatur: cujuſque ſunt munia ſeparata vel mixta. Interdùm natura ex ſe ſolâ Medicatrix, ſæpiùs egena, ni juvetur ab arte. In multis ſiquidem natura ei quod nobis emolumento eſſe

queat ; contrarium molitur ac perficit, quoniam ipsa solo instinctu regitur; ars verò rerum ducitur cognitione ac intelligentiâ : ideòque Medicina plurima præstat suprà vires & potestatem naturæ in morborum curatione, ope Chirurgiæ, plùs manu proficientis, quàm medicamento.

I I.

EST autem Chirurgia antiquissima Medicinæ Ministra, atque consistit in duobus, instauratione & detractione. Ad instaurationem pertinet deligatio, spleniorum & fulcimentorum usus, sutura & fibularum impositio. Ad detractionem refertur tractio, propulsio, avulsio, divulsio, solutio etiam continui quæ fit in parte durâ, vel molli, vel utrâque; in molli, sectio, punctio ; in durâ, serratio, limatio rasio & perforatio ; in utrâque ustio & excisio. Hujus Chirurgiæ apprimè peritum decet esse Medicum, operationem Ministris relinquere, qui magisterio Medici dirigantur. Chirurgus verò sit juvenis, castra sequatur, & Nosocomia frequentet, ut vulnerum discrimina cognoscat.

I I I.

QUAMVIS enim vulnerum curandorum indicationes sint consimiles, unionis solutionem resarcire, sublatâ inflammatione per venæ sectionem & refrigerantia, saniei detersione & carnis reparatione per exsiccantia & detergentia. Attamen pro variâ partis naturâ, & rei lædentis qualitate aliter tractantur vulnera. Si capiti vulnus inflictum, etiam leve, non negligendum, cui medetur sanguinis detractio, liberalior

ſi fuerit os læſum ; quod Trepano exſcindetur. Pectoris vulnera penetrantia, etiam perfoſſis pulmonibus, non ſemper lethalia, uberiore & repetitâ ſanguinis detractione ſanantur : proindè in magnis vulneribus corpus inediâ macerabis & exangue reddes. Ratione rei lædentis, ſivè contundentis, ſivè venenatæ aliter percurantur vulnera. Sed omnia raro ſolvenda atque medicanda, & niſi profundè ſinuoſa ſint aut complicata, non adhibeantur Turundæ.

I V.

EX multiplici linamentorum genere quod in tractandis vulneribus uſurpatur, aliud eſt externum, quod plumaceolus vulgò dicitur ; aliud internum Turunda dictum. De poſtremo tantùm inquiritur, cujus apud Veteres plurimæ ſunt differentiæ, quibus indita ſunt nomina à formis & figuris quibus effinguntur, vel à materiâ ex quâ conflantur, cujuſmodi ſunt Linteum, Ellychnium, aut Suber, Spongia, radix Gentianæ, Argentum, Plumbum, Stannum, ex quibus formantur Canaliculi, ad implendas Turundarum vices.

V.

INDUNTUR vulneribus Turundæ, ut aperiant & dilatent ad egreſſum Puris, vel alieni corporis extractionem. Sed quantùm officiant curationi vulnerum, indè liquet quòd vulnera, ſi recentia ſunt dolorifica ; ideòque non irritanda metu fluxionis Turundarum intruſione, quas natura vulnerum Medicatrix nititur ſemper excutere ; ſi vetuſta, non egent Turundis, quæ coalitum impediunt, conſervant ulcera. Deindè Puris continuum ef-

fluvium ſiſtunt, cujus morâ & putredine magìs effodiunt & excavantur ulcera, atque ferina fiunt.

Ergò noxiæ Vulneribus Turundæ.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Carolus-Ludovicus Liger.	*M. Petrus Rouſſin de Montabourg, Conſiliarius Medicus Regis ordinarius, nec-non Urbis Regiæ Regiique Noſocomii San-Germani in Layâ.*	*M. Raymundus de la Riviere.*
M. Joannes-Stephanus Guettard, è Regiâ Scientiarum Academiâ.	*M. Achilles-Franciſcus Fontaine.*	*M. Ludovicus-Petrus le Hoc.*
M. Natalis-Maria de Gevigland.	*M. Joannes-Baptiſta-Ludovicus Chomel, Medicus Regis ordinarius.*	*M. Antonius-Nicolaus Guenault.*

Proponebat Pariſiis, FRANCISCUS BIDAULT, Pariſinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1744, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Pariſienſis Typographi, 1744.